Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 857
Quelle:
Copyright:

Incipit Praefatio Sancti Hieronymi Presbyteri in Expositionem Evangelii secundum Mattheum. Visitur ab hoc Titulo ipse S. Doctor scribendo occupatus. Exemplar mendis non caret, ut ex collatione liquidum fit. Habentur vero haec Commentaria in *Edit. Vallars. Opp. Hier.* T. VII. p. 1.

II. *fol.* 120. succedit *Commentarius in Evangelium secundum Marcum*, cujus Praefatio incipit: *Omnis scriba doctus in regno celorum* &c. Ad calcem haec verba: *Hunc libellum. breuiter comprehensum. qui imitando perscrutauerit. regna ei patebunt eterna. Lege ergo. et imitare assidue.* absunt ab exemplaribus impressis. Commentarius hic *Hieronymo* suppositus, ut multis doctorum Virorum testimoniis ostendit Oudinus T. I. col. 844. prostat *Edit. supracit.* T. XI. p. 783.

III. 147. p. 2. sequitur *Hieronymi Commentarius in Ecclesiasten* marginibus ab arte pictoria plurimum commendandis. Praefationis exordium est: *Memini me ante hoc ferme quinquennium* &c. Finis operis: *Ve quippe his qui dicunt malum bonum et bonum malum.* Legitur hic Commentarius *Edit. supracit.* T. III. p. 381. Adsutae nobis sunt sequentes duae particulae: *Illa enim alterius ordinis atque mensure est. et singulis habet magnam diuersitatem tantumque inferior templi quo nunc extenditur ezechieli. ut non solum cultores eius editui. sed ipse fabricator eius salomon peccauerit. et offenderit deum licet postea totis medullis cordis egerit penitentiam. Scribens in prouerbiis. in quibus ipse ait. Nouissime egi penitentiam et respexi. ut eligerem disciplinam.* Et: *Salomon ille admirabilis qui meruit assistrici dei hoc est sapientię dei copulari. in alienarum incurrit amplexus. et uinculis libidinis laqueatus. etiam sacrilegii crimine se polluit. quia chamos moabiticum. Ydola fabricauit. Sed quia prophetica uoce culpas erroris agnouit. nunquam celestis misericordię est separatus.*

IV. *fol.* 206. litera aurea quadrata *Incipit Prologus Sancti Hieronymi Praesbiteri de Infantia Salvatoris.* Prologus hic spuria illa epistola est ad *Chromatium et Heliodorum episcopos* praefixa alias apocryphae Narrationi *de Nativitate Sanctae Mariae*, incipitque: *Qui terram auri consciam fodit* &c. et legitur cum *Edit. supracit.* T. XI. p. 279. tum *J. Alb. Fabricii Cod. Apocr.* N. T. p. 8. hic vero avulsa ab illo corpore, et alteri non minus monstroso imposita est. Sequuntur enim *Capitibus* XXI. Prodigia Puero Jesu adtributa non minus absurda, quam ea, quae in *Cotelerii* et *Sikii* fragmentis apud laudatum *Fabricium* habentur, neque tamen prorsus eadem, sive rem, sive dictionem spectes. *Caput* I. sic orditur: *Una die admonitus est Joseph ab angelo domini et dixit illi tolle mariam et infantem. et per uiam heremi perge et uade in egiptum* &c. *Ultimum* sic: *Cum autem conueniret Jo. ad con-*